

FK.134

34

II  
g  
15%

152

HOC ANTELOQVIO  
DE  
**MACHIAVELLISMO**  
**SCHOLASTICO**  
ANNÆBERGENSIS LYCEI  
INSPECTORES GRAVISSIMOS  
ET OMNES, QVORVM AFFECTVS IN REM SCHO-  
LASTICAM EST PRONIOR,

AD  
*SPECTANDOS ACTVS DRAMATICO-SCENICOS,*  
QVI

*AD D. XIII. & XII. KALEND. JVN.*

QV

INTER SOLENNIA GREGORIANA  
A NOSTRIS EXHIBEBVNTVR,  
DECENTISSIME INVITAT  
M. JOH. FRIEDLIEB STVBELIVS,  
RECTOR

# M. JOH. FRIEDLIEB STÜBELIVS, RECTOR.

ANNAEBERGAE,  
TYPIS AVGUSTI VALENTINI FRISII.



**U**TOR nunc ea venia, quam MICH. LILIENTHAL IVS, sub festivæ illius de Machiavellismo Literario Dissertatione finem cuilibet liberaliter tribuit, his verbis (\*) ad pares conatus eruditis signum erigens: *Poterit etiam, qui ingenio & experientia pollet, si uirtutem ipsi hac in parte facile confundere, & ex generatibus istis inclarescendi modis à nobis adumbratis, specialescere elicere, elictosque applicare: & licet eo usu rerum eoque ingenio me non instructum sciam, quale in imitatoribus suis requiri ille videtur, & alium quemvis cum spe felicioris successus ad hoc negotium accedere potuisse, haud invitus largiar;* tamen, cum de Machiavellismo Scholastico, quantum quidem mihi constat, nemo dum scripto peculiari egerit, mihi id argumentum breviter & pro modo instituti hujus vel ideo pertractandum sumus, quia & a vita, quod profiteor, genere haud procil illud abest, & mihi artes perversissimæ, quibus imponere alii quidam nostri ordinis homines solent, & quas nunc sub censuram vocabo, odio semper fuerunt maximo. Attigere illud quidem etiam supra laudantis LILIENTHAL IVS in Satyra sua, IO. BVRCH. MENCKEN IVS in Declamationibus de Charlatanaria Eruditorum, SEB. STADELIVS in Epistola de Circumforanea literariorum vanitate, illis adjuncta, (\*\*) JO. HVBNERVS in Progr. de Pedantismo, GOTHOFR. VOCKERODT in simili Progr. de vitando literarum & artium abuso, fugiendoque græcole vanitatis s. Pedantismi vitio, quod habes in Consultationibus ejus Gothia 1705. editis, & præter hos alii; sed, ut dixi, attigere illud modo paucis verbis, & suis admisceuerunt nonnulla hue spectantia, cum non scholasticorum modo doctrinæ, sed omnis omnino generis literariorum vita, quedam indicare vellet & perstringere. Nemo itaque turpis plagi me accusabit, cui in animo est, eas porfissimum fraudes in apicum producere, quibus literas juvenuti in Scholis publicis tradentes, iisque vel nimio fauor turgidi, vel inuidia veneno suffusi, vel pecuniae amore incensi, vel defectu pietatis & eruditio[n]is solidæ laborantes, plausum aut lucrum, alter negatum ipsis, haud raro seellantur. Urte adeo non vereor, ne quis cordatus hæc consoni succenferat, aut dicam scribat, ita, si fuerint forte, qui graviter ferant, arcana dominationis sua ita prodi temere & ulcera sua contredicari, eos credere jubeo, me vita citra illius persona, cui illa insint, recordationem reprehendere, nec cujuquam famam, quibusunque technis illi fuerit acquisita, fugillare: yolo corum enim nomina latere, quod magni beneficii instar habere debent, patere autem præstigias, quibus & laudem & opes accupantur; quod si æquo animo ferre non possunt, per me rampantium ilia. Sunt vero illæ tam varia tamque occulta, ut vix ad certum ordinem certasque clavis revo[n]eari, nedum omnes ab uno, imprimitur harum machinationum experti, nisi ipso Argo sit occupatio[n]is, p[er]verdi queant. Licebit igitur libere diyagari per hunc campum latissime patentem, & nunc præcipias tantum impotitas quorundam magistrorum, prout illæ scilicet in mentem & sub calamum venient, commemorare, &c, si hoc spatio angustissimo non omnia potuerint comprehendere, quæ restabunt ad aliud tempus reservare.

Ante omnes alios in Machiavellismi, quem hic notamus, suspicionem jure vocandi videntur illi, qui, ut alicant discipulos & cœtum habeant frequentiorem, & alii omnibus, de juventute quidem preclare merentibus, & scholas, quas regunt, reliquias nequaquam contingenendis, ipsi præferunt, his præfectos alto supercilio deliciant, & quicquid excogitari potest, in eos evomunt insidiose, haud tuto se regnare posse arbitrantes, nisi more Ottomannorum frater suos omnes contradicaverint, quod de Arisbotole dixit Verulamius, (\*\*\* &) subvenientes, ne merces sue emporibus careant, nisi alitorum tabernas & que venimus ibi exponuntur, elevent & calumnientur. Hos qui interdum auditi sua jactantes, ipsos solos sapere, & eruditionem nonnisi eo loco, ubi Thrasones illi habitant, sedem & domicilium fixisse, Musasque ibi, seu ethnicorum Deos Lares & Penates, pedicis conflictas putet, ne quo præterea locorum queant concedere. Nullam facile prætermittunt alii impune detrahendi occasionem, eamque commodissimam se nactos credunt, cum pueri adducuntur ad eos alius ductu adhuc usi: quos, si rude, vel tamen non satis perpolitum ingenium attulerint, a præceptoris perperam institutos clamitant, parum ejus memores, quod officia docentium diligentiæ debeat esse reciproca, nec considerantes, culpane apud hos an illos residat: aut eos ad infima subsellia detrudunt satis in necessariis versatos & meliore dignos loco, ut, cum parvo tempore interjecto evehuntur, suæ diligentia & arti id deberi existimet: Si quid vero peccant aliunde adve[n]ti, id priori disciplina audacter tribuitur, cum mores innocentissimi sepe pesimis exemplis, qua inventore ibi, fuerint depravati, & filii corruptiores remittantur domum, quam venerant. Juftas autem poenæ præcipitati judicii & inlementius habite aliorum fama luunt illi obtrectatores, cum multi ex ipsorummet claustris scholasticis, qua prædicant tantopere, prodeunt literarum plane imperiti & vix primis elementis imbuti: tunc enim illis nonnunquam potiori ure exprobatur, quod alii intentaverant antea, ad illud miserium asylum frustra nunc configentes, se accepisse lignum, ex quo non potuerit fieri Mercurius, & præsidium in illo trito querentes, quod hic valere dicunt: si nibil attuleris, ibis, Homere,

foras!

(\*) pag. 181, sq.    (\*\*) p. 227.    (\*\*\*) Lib. III. de augmento Scientiarum, cap. IV. p. m. 88.



*Sor. 1.* quasi vero qui nihil attulit, nihil ex eo loco, ubi rerum sat est, effere possit. Quidam intra ipsa schola sue pomera superbiā & invidiā suā exercēt, & malo dolo favorem discipulorum ambiant, dum laborum socios, quos magni facere & commendare suis deberent, prater meritum coram discipulis carpunt, eorum mores & dicta exagitant, & eruditionem, qua se superari ab illis intelligunt, ut proletariam & trivialem, in contemptum adducunt, malignos lutores imitati, quibus, ut ait Seneca, propositum est, collusorem traducere. Quo stratagemate id lucrantur, ut soli honore & admiratione habeantur digni, & ad tuba sic inflata signum credula plebs scholastica ad ipsos certatim confluat. Alii aliam viam se effrendi inveniunt, dum eorum gesta, in quorum locum sufficiunt, verbis immixiuntur, sapienter ab illis constituta abrogant, & innovandi omnia libidine nihil rectum credi volunt, nisi quod ipsorum ingenio conveniat. Sunt etiam, qui eo procedunt impeditatis, ut famam magistrorum olim suorum, quibus tamen omnia sua debent, petulant rodat, eorum mores & audita ex iis per jocum lufumque allegantes, illudque frequenter in ore habentes: ô si mihi licuisset esse tam felici, cui praeferunt praeceptores asper & obsoleta eruditionis, nullius eleganti studiosi, plagiis Orbili, sub quibus cum gemitu didici literas: agnoscite vestram felicitatem, ô mei, qui me duce longe commodiorem viam ad artes grafsandii invenisti, & sine magno labore Capitolium eruditionis & sapientiae potestis conserdere & occupare. Pergo ita commode ad eos, qui frena relaxant suis & nimia discipline remissione popularique blanditia & assentatione eorum benevolentiam colligere nituntur, pestes juventutis execrandae & ordinis nostri carcinomata. Vident, multos, disciplinæ arctioris pertefos, cancellos pertrumpere, & eo dilabi, ubi licet, quod libet: a quo confilio ut retrahant midstū pullos, nulla pietatis habita ratione, ad peccata gravissima connivent, nunquam exasperant frontem, pro lubitu evagandi, totas noctes pergracandi, otiandi & ludendi, inter se digladiandi, cum puellis conversandi, hoc est Veneri, Baccho, Marti, Vacuna lantandi ipsi faciunt licentiam, vel ipsi quoque ad ista lampadem iis preferunt exemplo suo, hocque diabolico artificio juvenes, ad hac talis sponte ruentis magno impetu, sibi adstringunt, & his illicibus plures ad se invitant. Non nulli suis servientes commodis illos modo indulgentius habent, qui munera frequenter apportant, & beatiori fortuna gaudent, pauperes vero ad ea officia adiungunt, quæ deberent esse omnium, minisque & pœni coercent, vel in eos, a quorum parentibus offensi sunt, injurias ulturi severitate insolita animadverunt. Multæ sunt præterea rationes omnino vituperanda, quibus favorem discentium sibi conciliant & lucro insidiantur inepti juventutis ductores, quo & illa refutari merito, cum rerum omnium ignaris locum in superioribus classibus assignant, vel ut armatis parentum precibus satiat, vel quia proceritas corporis & barba mentum jam infuscans id exigere videatur: Unde fieri solet, ut, qui proficere poterant, si locum fortius essent, quem merebantur, perpetuo in foribus suis hancant, quia ultra captum sunt, quæ ipsi proponuntur. Contrario modo rebus consulunt suis, qui pueros largius didactrum per solventes d'uti, quam par est, tenent, quo minus ad superiores ordines transeant, & ita proectus eorum remorantur. Multorum hic mos est, ut parentibus concreditorum sibi, eo literarum praesidio non instruatis, ut fucum agnoscant, glaucoma objiciant oculos, dum nonnisi læta de filiis nuntiant, & pulchre provehi eos in atrium & virtutem studio affirmant, quos tamen rude adhuc peccus gerere & horas per inertiam perdere, inque multis delinquere, probe norunt, veri scilicet, ne, si fateantur quod res est, rivi liberalitatis deficiant, & desides immorarique in alias scholas traducantur. Imo non pauci ipsos discipulos paulum ultra primas literas progressos intemperita laude eo perdidunt, ut falsam sibi scientia perivationem induant, quæ eos remissiores reddit in suo negotio, idque eo consilio faciunt, ne dubitent miseri illi, optime fecum agi, & fidum sibi obtigisse ducem, cuius filio quasi regente feliciter & ex sententia in prafinito itinere procedant. Nil sere dictum est haec tenus de ipsa methodo, quam in tradendis linguis & scientiis illi sequuntur, quos Machiavellismi scholastici reos agimus. Eam totam vero vel ad ostendandam eruditionem undique corrogatam, vel ad occultandam ignorantiam & ad incutas mentes fallendas compositam agnoscet. Videas plerosque hujus census viros neglectis fundamentis altiora propostrere tractare, persuadere aliis volentes, subesse manibus suis ingenia dudum de unda iis rebus, quæ pueris inculcari solent. Aperiunt auditoribus Collegia Logica, Ethica, Physica, Mathematica, qui Grammaticas regulas & jungendarum vocum rationem nondum apprehenderunt: & Hebraica, Syriaca, Chaldaica, & nescio quæ idioma crepant, Romanis litteris vix a tyronibus degustatis. Sicque coronidem imponere adhuc festinant, cui nondum sublitratum est quicquam, quo sustineatur. Eaque fere illorum conservudo est, qui superficiariam eruditionem stabilire laborant, idque agunt modo, ut prodeant ex officina sua, qui vulgo videantur docti, & imperitis vana specie illudere possint. Sic enim inititi, ut vulpes in fabula, (\*) quæ pultem vitro inclusam ligiture non poterat, ad fundum rerum nuncquam penetrant, inanil-

lo

(\*) Verba Patris sunt in Dis. de pervertâ juventute in scholis instituendi ratione.



16 ac vtre splendore se oblectantes. De illis, qui compendia certo dispendio futura ja-  
stant, mentientes, parvo se temporis spatio mirabiliter felicitate linguis atque scientias plane  
rudibus infundere posse, nihil commemorabo, quod circulatoriam hanc vanitatem satis ex-  
plosam a peritoribus non ignoro. Restant alia fraudes haud minus ridenda: corum nem-  
pe, qui seculi genium quandam communiscentes vetera abiciunt, & nova, vel potius novo  
habitu induita & novis nominibus insignita, ut placeant harum rerum studiofis adolescenti-  
bus, magno clamore afferunt: eorum, qui Graciam linguam, quam ipsi vix attigere, ut su-  
pervacuum, hodie non magnopere in ludis literaris urgendas & nemini obtundendas doc-  
cent, magno discipulorum eam nauseantium solatio. Eorum, qui in explicandis Autoribus,  
quos non intelligunt, difficiliora sicco pede transvolant: Eorum porro, qui oftennunt, quan-  
tum philologica eruditio in ipsis reconditum lateat, in eodem scriptores, quos melius  
libero discurfu enodarent, tota plausa animadversum & notarum plebecula sua in cala-  
mum dicitant, ex decem commentariis undecimum confarcinantes, & tempus ita magis  
necessarius & plus commodi habituris rebus præcipiunt: eorum denique, qui ab uno Autore ad  
alterum defultoria quadam libidine transeunt, & ut cum Lipsio loquar, velut ex equo in equum  
se traiiciunt, multaque simul nullo ordine peragunt, ne quicquam ex toto circulo discipli-  
narum intactum reliquise putentur, & rara diligentiae gloriam inde referant. Sed haec bre-  
viter indicasse sufficiat. Sentio enim, me copia rerum, qua hic locum aliquem sibi vindic-  
ant, obtut, & vix finem repertum & exitum, quia plus adhuc earum in mente est, quam  
in charta. Jam illorum recordor, qui, ut removaneant fastidium jejuni discursus, seris, non  
raro sacris etiam jocos admiscent, & anilibus fabulis delectant auditorum, qua cinguntur,  
coronam plane hiltronibus usitato more rufum lepori concitantes, ut jures, non gra-  
vem virum, sed morionem stare in cathedra, plausum populi captantem. Nec eos tacitus  
praterire possim, qui oblitii partium, ad quas vocati sunt, magna volumina congerunt typis  
exscribenda, ut posteri etiam sciant, vixisse aliquem hujus nominis, qui, cum in discipulis  
viveret non posset, sui aliquam memoriam in scriptis apud illos extare voluerit. Peccarem  
forte, si eas prælitis reticerem, & non una atque altera mica lilia conspergerem, quibus  
Machiavellicarum fraudum studiosi ignorantiam & mendicitatem suam pudendam celare con-  
svererunt. Posset haec facile discipulis innotescere, si eorum cuiilibet facultatem concede-  
rent, quarendi exipsis, qua velint; sed occurrit huic periculo callide, dum eos ad silentium  
Pythagoricum compellunt, ut ne hiscere quidem audeant, & certa sibi persuadeant fide, e tri-  
pode quasi dicta esse, qua ex ore magistri proveniunt, aut, si quis forte eo animo sit, ut du-  
biu[m] aliquod proponat, solutionem ejus ob certas causas ad aliud tempus rejiciunt. Cum  
que aliunde petita sint pleraque, qua pro suis venditant, sedulo carent, ne libri, quos expi-  
lare solent, in discipulorum manus pervenant, ierinia sua solite custodiunt atque tegunt,  
& si quid librorum, quos pro oraculis consulunt, verari inter eos intellexerint, clam iis subduc-  
unt, ne fontes pateant omnibus, ex quibus, quod siut eorum restingvat, hauirire svererunt. Scio,  
quosdam, cum paulo minus etiam, quam mediocriter se literas callere & suo officio esse im-  
pare, sensissent, vel otio vellent tempus transmittere & genio indulgere, discipulos proprii  
industria scientiam aliquam assecutus sibi applicuisse beneficisque obfrinxisse, a quibus pro-  
ponenda pubi scholastica, Graeca imprimis, in schedula prius consignarentur, ex qua deinde  
magni anime prelegi possent, vel domi aliutis ex Academiis evocatos & are conductos non  
parvo, qui ipsi semper præsto essent, & defectum doctrinæ ex suis copiis supplerent. De  
ipsis etiam Programmatibus scholasticis & oratoris exercitiis, quibus sepius facunt faciunt  
doctores umbratici, quæpiam adiicere constitueram; sed cum illa STADELIJ censuram seve-  
rissimam jam sint experta, (\*) meam non desiderarevidetur. Id fateor tamen, Machiavellici  
scholastici notam omnino mereri, qui his ad solam ostentationem & ad quæstum abutuntur,  
in quem finem nihil unquam a me scribi, a meis dici, sanctissime affirmo. Superfedere eti-  
am maluitsem hac qualicunque scriptione & illis Dramatibus in scenam proferendis, qua  
me & meos hoc tempore exercent, nisi mori a longissimo inde tempore tradito fuisse ob-  
sequendum, a quo recedere mihi integrum non est. Facio igitur & nunc, quod est meum,  
idque Vos, quorum cura tuerit hanc scholam nostram, & quicunque eidem favetis & cupi-  
tis, studiose rogo, ut nostris, proxime instantibus Lunæ & Martis diebus fabulas aliquot  
acturis, ex quibus quicquid calta[m] mentes offendit exulare iussi, oculos & aures benevolentis  
commodare, & plausu Vestro animos iis ad majores conatus addere ne gravemini. Opera  
dabitur, ut pro hoc beneficio digna apud vos extet deinde gratia. Scribeb. d. XVII. Kalend.  
Jun. M DCC XXVIII.

(\*) l. c. p. 227.

Irrepercere in Programma prius de sacris nocturnis & antelucanis sphalmata aliquot, certe non  
mea, sed ejus culpa, qui id, quicquid fuit, ex ore dictantis except. Ea vero cum sint ejus-  
modi, ut vel a pueri facile agnoscí queant, a me autem sub auspiciis novi munieris aliis  
rebus intento tolli haud posuerim, corrigendi opera discipulis relata, B. L. boni consuler.

HOC ANTELOQVIO  
 DE  
**MACHIAVELLISMO**  
**SCHOLASTICO**  
 ANNÆBERGENSIS LYCEI  
**INSPECTORES GRAVISSIMOS**  
 ET OMNES, QVORVM AFFECTVS IN REM SCHO-  
 LASTICAM EST PRONIOR,  
 AD  
*SPECTANDOS ACTVS DRAMATICO-SCENICOS,*  
 QVI  
 AD D. XIII. & XII. KALEND. JVN.  
**INTER SOLENNIA GREGORIANA**  
 A NOSTRIS EXHIBEVNTVR,  
 DECENTISSIME INVITAT  
**M. JOH. FRIEDLIEB STVBELIVS,**  
 RECTOR.

ANNAEBERGAE,  
 TYPIS AVGUSTI VALENTINI FRISIL.

